



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Archiepiscopo Montis regalis & Parisio Episcopo in Archiepiscopum  
Panormitanum electo, Regis Siciliae familiaribus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**



curare ut Diuuldum impediunt & impugnent ne terram tuam possit offendere vel intrare, tūque per treguas & alias conventiones placabiles componere studeas cum adjacentibus, & vicinis; nec timeas pro terra quam personaliter deseres, quia si oporteret te damnum incurrere ex hac parte, tanto majus erit commodum quod consequeris ex illa ut damnum æquanimitè sit commodo postponendum &c. Datum Velletri xviii. Kal. Octobris.

**A R C H I E P I S C O P O**  
Montis regalis & Parisio Episcopo in Archiepiscopum Panormitanum electo, Regis Siciliae familiaribus.

Epist. 89.  
De morte  
Marcualdi.

**B**enedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui post nubilum fecit serenum, & post lacrymationem & fletum gaudium & exultationem induxit, qui non dereliquit virgam peccatoris super sortem iustorum, sed causam vestram discrevit à gente non sancta, & eripuit vos ab homine iniquo pariter & doloso, qui non posuit Deum adiutorem sibi, sed in sua prævaluit vanitate, ut omnipotens Deus vos aliosque fideles tamquam aurum in fornace probaret: quatenus probatio vestri multò pretiosior esset auro, quod per ignem probatur, similis grano synapis, quod quantum plus tunditur, tantò fortius inardescit. Vnde flagellato tandem miserabiliter pestilentia viro, qui iusto iudicio dies suos finivit in malum, nunc fidei vestrae sinceritas invenitur in laudem & gloriam & honorem. Licet enim ad tempus propter nubis objectionem solis radius non illuxerit, ex quo tamen nubes evanuit, splendor ipsius gratius elucescet; & vos, qui non curvastis genua vestra coram Baal, postquam nefandae memoriae Marcualdus interiit, quæ vestrae circa nos voluntatis impediēbat effectum, ea tam vigili studio quam studiosa vigilantia studebitis operari quæ ad apostolicae sedis honorem & regiae personae salutem totiusque regni commodum magnificè redundabunt &c. Datum Velletri viii. Kal. Octobris.

**C A P I T V L O A V X I T A N O.**

Epist. 96.  
Quod epileptici non possunt esse Episcopi.  
Vide infra lib. 13. epist. 88. & lib. 14. epist. 32.  
Vide etiam Gratian. 7. q. 2.

**V**acante Ecclesia Auxitana, Canonici Episcopum Lectorensem, qui morbo committali laborare ferebatur, sibi postularunt Archiepiscopum dari. Qua occasione hæc ad eos inter alia scripsit Innocentius. Nos igitur sanctorum patrum nolentes institutionibus obviare, qui morbo epileptico labo-

rantes à Missarum solemnibus arcendos esse decernunt, & præsertim bonæ memoriae Gelasii Papæ prædecessoris nostri, qui edidit in simili casu canonicum institutum, quod est ultimum septimæ causæ capitulum in corpore decretorum, jamdictis Xantonensi Episcopo & Notario & dilecto filio Abbati de Corona nostris damus litteris in mandatis ut veritate diligentius inquisita, quæ secundum institutionem ejusdem Gelasii Papæ viderint facienda, Deum habentes præ oculis, faciant auctoritate nostra suffulti appellatione remota. Si verò propter præmissam occasionem postulatio jamdicti Lectorenensis Episcopi juxta institutionem canonicam non fuerit admittenda, ea penitus non obstante vobis eligendi Pontificem auctoritate nostra tribuant facultatem.

**P E N N E N S I E P I S C O P O.**

**T**acti sumus dolore cordis intrinsecus & gravi mœrore turbati quòd tu, sicut accepimus, in injuriam ordinis tui & infamiam ordinationis nostræ agis in pluribus ut apostata, qui, teste scriptura, vir inutilis appellatur. Si enim diligenter attenderes quòd te de monacho non simplici sed Abbate duximus in Episcopum assumendum, reprobatis successivè duobus quos dilecti filij Pennense capitulum nobis præsentarunt electis, eam deberes servare tam in vita quam moribus honestatem que ad salutem tibi proficeret & subditis ad exemplum. Verum, de quo miramur non modicum & movemur, propriæ conditionis oblitus, quòd post acceptum episcopatum quædam illicita liceas & expedias quæ fratrum Cisterciensium observantia reputat inhonesta, picturata sella & chirothecis uteris sericatis, amplo te galero coronas, & carnibus publicè usque ad saturitatem te reple, ei forsitan per insignia hujusmodi comparandus de quo data ei tunica pellicia scriptum esse legitur: *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, sciens bonum & malum.* Præterea cum quidam prædecessorum tuorum pro libertate Pennensis Ecclesiæ non dubitarint etiam exilium sustinere, Pennensis civitatis dominium secundum justitiam potenter & viriliter defendentes, tu, sicut dicitur, de civitate ipsa nobili viro B. Laureti & Cuperfani Comiti fidelitatem & hominum præstitisti; & quasi non sufficiat iniquitas tua tibi, ea nobis niteris imputare ad excusandas excusationes in peccatis, allegans quòd super hoc mandatum apostolicum recepisses, tam in his quam in aliis tantum ex-

Epist. ...  
Eum reprehendit de excessibus.

Vide supra lib. 2. epist. 185. & collect. Rainieri. 4.